



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

De propria consideratione. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

*Prov. 3.* 2 Si tu esses intus bonus & purus,  
*Ps. 118.* tunc omnia sine impedimento vide-  
 res, & benè caperes. Cor purum, pene-  
 trat cælum & infernum. Qualis vnu-  
 quisque intus est, taliter iudicat exte-  
 riùs. Si est gaudium in mundo, hoc  
 vtique possidet puri cordis homo: Et si  
 est alicubi tribulatio & angustia, hoc  
 melius nouit mala conscientia. Sicut  
 ferrum missum in ignem, amittit ru-  
 biginem, & totum candens efficitur:  
 sic homo integrè ad Deum se conuer-  
 tens, à torpore exuitur, & in nouum  
 hominem transmutatur.

3 Quando homo incipit tepescere,  
 tunc paruum metuit laborem, & li-  
 benter externam accipit consolatio-  
 nem. Sed quando perfectè incipit se  
 vincere, & viriliter in via Dei ambula-  
 re: tunc minùs ea reputat, quæ sibi  
 priùs grauia esse sentiebat.

## C A P. V.

*De propria consideratione.*

*Ier. 17. 1* **N**ON possumus nobis ipsis nimis  
 credere, quia sæpè gratia nobis  
 deest, & sensus. Modicum lumen est  
 in nobis, & hoc citò per negligentiam  
 amit-

amittimus. Sæpè etiam non aduertimus, quòd tam cæci intus sumus. Sæpè *Ps. 140.*

malè agimus, & peius excusamus.

Passione interdum mouemur, & zelum putamus. Parua in aliis reprehendimus, & nostra maiora pertransimus. *Mat. 7.*

Satis citò sentimus & ponderamus, quid ab aliis sustinemus: sed quantum alij de nobis sustinent, non aduertimus. Qui benè & rectè sua ponderaret, non esset, quod de alio grauiter iudicaret.

2 Internus homo, sui ipsius curam, *Mat. 16* omnibus curis anteponit: Et qui sibi ipsi diligenter intèdit, faciliter de aliis tacet. Numquam eris internus & deuotus, nisi de alienis silueris, & ad te ipsum specialiter respexeris. Si tibi & *1. Cor. 4* Deo totaliter intendis, modicum te *Gal. 1.* mouebit, quod foris percipis. Vbi es, quando tibi ipsi præsens non es? Et quando omnia percurristi, quid ( te neglecto ) profecisti? Si debes habere pacem, & vnionem veram: oportet, quòd totum adhuc postponas, & te solum præ oculis habeas.

3 Multum proinde proficies, si te seriatum ab omni temporali cura conserves.